

EPI TOME S ASTRONOMIAE Copernicanæ

LIBER PRIMVS.

De principiis Astro- nomiae in genere, doctrinæq; Sphæricæ in specie.

Quid est ASTRONOMIA?

EST scientia, causas tradens eorum,
quæ nobis in Terra versantibus de cœlo & stellis
apparent, Temporumq; vicissitudines pariunt: quibus
perceptis, cœli faciem, hoc est, Apparentias cœlestes in
futurum prædicere, præteritarumq; certa tempora affi-
gnare possimus,

Vnde dicta est Astronomia?

Ab Astrorum, id est motuum, quibus astra mo-
ventur, lege seu regimine, ut Oeconomia à regenda re-
domestica, Pædonomus à regendis pueris.

Quæ est cognatio hujus Scientie cum ceteris?

i. Est pars Physices, quia inquirit causas rerum & e-
uentium naturalium: & quia inter ejus subjecta sunt
motus corporum cœlestium: & quia unus finis ejus est,
conformationem ædificij mundani partiumq; ejus in-
dagare.

A

2. Geo-